

econtrario enarrabimus Nomen tuum fratribus nostris, & in media congregatione te laudabimus. &c.

§. XVII. Oritur inde appropinquatio illa Nominis divini in nobis, quam in principio *appropinquationem fidei passivam* dixi. Est hæc nihil aliud, quam ipsa fides in nobis, ejusdemque quasi experientia quædam spiritualis, qua vere fideles & pii, per eandem hanc fidem, in se ipsam quasi reflexam, appropinquantem Dei, & gratiam, & providentiam specialem, agnoscunt & sentiunt, utriusque, infallibili cum assensu, & fiducia filiali, adhærentes, expertique hac ratione veritatem omnium promissionum divinarum, singulari cum *παρρησία* & *πληροφορία* fidei, in Deo suo lætantur, eundemque celebrant. Hæc in primis telexerunt in Davide, cum alias, tum maxime in Ps. XCV, 1, sqq., quando, *agite, inquit, cantemus Jehovæ, clangamus rupi salutis nostræ. Eamus ante faciem ejus cum gratiarum actione, cum Psalmis clangamus ei: Nam Deus fortis magnus est Jehova, & rex magnus super omnes Deos, in cujus manu sunt ima vestigia terræ, penes quem sunt vires montium. Venite, incurvemus nos, & procumbamus; flectamus genua coram Jehova, qui fecit nos, cum ipse sit Deus noster, nos vero populus pastus ejus, & grex ductus ejus.*

§. XVIII. Ex omnibus tandem hoc relinquitur, quod fideles Novi Testamenti omnibus gentibus haud tantum, sed & ipsis fidelibus V. T., quod ad hæcenus explicatam Nominis divini appropinquationem attinet, in multis præferri possint. Confirmat illud Servator ipse Matth. XIII, 16, sq. & licet in hoc loco suorum videatur Discipulorum oculos & aures tantum beatas prædicare, propterea, quod viderint & audiverint, quæ multi Prophetarum & justi desiderarunt videre & audire, & non viderint ea, nec audiverint, nihil tamen repugnat, quo minus & hoc ad omnes extendamus fideles N. T., cum & ipse Apostolus illud ad omnes quoque Ephesios referat, *qui olim, inquit, eratis longinqui, facti estis propinqui per sanguinem Christi.* Quamobrem, cum & nos sciamus, quod simus Deo ita appropinquati, rogemus eum, ut maneat in nobis, & nos in eo, ut hic quoque sentiamus, quæ sint opes gloriæ hæreditatis in sanctis, & quæ sit supereminens illa magnitudo gratiæ ipsius, usque dum in eum evehamur statum, ut appropinquare eidem amplius non possimus.

••• (o) •••

Coll. Miss. N. 186, 24